

et tenere unam mensura[m] de ramo tenute novem libr. olei, cum qua mensura mensurare debeant totum oleum factum in eisdem cuilibet persone, que vero mensura bulari debeat bula comunis, et hoc sub pena decem libr. par. pro qualibet persona contrafaciente, de quibus mensuris iustitiiarii comunis habeant 5 providere et contrafacientes accusare, et eisdem adhibeatur plena fides, et habeant tertiam partem condemnationis earum acusationum. ¶ Preterea predicti patroni sive turclarii nec aliqua alia persona non sit ausa nec presumat storcolare aliquod noglum tempore aliquo, sub pena libr. vigintiquinque 10 par. pro qualibet vice contrafacta. ¶ Et dominium quod pro tempore fuerit teneatur inquirere de predictis, et acusator habeat medietatem condemnationis facte occasione sue acuse.

Cap. XLVIII. Rubrica de presbiteris deputandis ad ecclesias sanctorum Silvestri et 15 Iacobi.

Ad honorem Dei¹⁾ et beate Marie Virginis ac sanctorum Silvestri et Iacobi et absolutionem animarum, duximus statuendum quod omni die summo mane, quando pulsatur tintanabulum diei ad palacium comunis, sint et esse debeant pa- 20
 268 B rati ad altare // duo presbiteri pro missis celebrandis ad commodum et consolationem populi Tergesti in ecclesia sancti Silvestri, et finita missa unius ipsorum incontinenti alia alterius subsequatur. ¶ Et habere debeant dicti duo presbiteri pro ipsorum sustentatione de camera comunis libr. duodecim 25 par. comuniter inter ipsos in quibuslibet quatuor mensibus. ¶ Et similiter esse debeat et sit deputatus unus presbiter ad ecclesiam sancti Iacobi in civitate Tergesti omni die pro missa celebranda. ¶ Et habere debeat dictus presbiter pro ipsius sustentatione libr. tres par. in quibuslibet quatuor mensibus. 30
 ¶ Et si dicti presbiteri non essent solliciti pro dictis missis celebrandis, vel hoc facere recusarent, nichil de predictis habeant a comuni.

¹⁾ Aggiunta marginale.